

cant, ut tamen inter te et carissimum in Christo filium nostrum Henricum regem Roman(or)um illustrem unitatis, caritatis et pacis solide federa perpetuis duratura temporibus vigeant, tanto ferventiori desiderio ducimur, quanto ad te et regem eundem precipuos et peculiare ecclesie filios inter ceteros reges et principes orbis terre maiori zelo dilectionis afficimur ac utriusque regis et regni statum felicem et prosperum ac honoris et exaltationis augmentum predecessorum nostrorum exemplo laudabili votis potioribus affectamus, quantoque tuam et ipsius regis unionem ac conformem et unanimem voluntatem utilitatis tocius rei publice christiane et presertim negotii Terre Sancte efficacitorem speramus et credimus divina favente clementia promotricem. Huius quippe nostri ferventis desiderii sic urget instantia, ut patenter ostendat in experientie libro quod legimus: 'Amor operatur multa si est, si autem operari renuit, amor non est'. Anxia enim mens, presertim quam zelus vere caritatis accendit, ad optatum cogitationibus estuatur, curis effluit, meditationibus immoratur, querit remedia, quesitis adicit, quesita et adiecta prosequitur nec solers inquisitio vel adaucta prosecutio efficit, quominus inquirendo et prosequendo crescat anxietas, donec quod avidè queritur efficaciter exequatur. (2) Attendentes itaque, quod ex donatione, concessione vel translatione regnorum Arelatensis et Viennensis Romani imperii membrorum vel alterius eorundem, si eas per dictum Henricum regem Romanorum in alium seu alios quam in Romanam vel aliam ecclesiam fieri fortasse contingeret, inter te ac regem prefatum et utriusque regis et regni vassallos, fideles et subditos suboriri possent impostero simulatates et odia, commotiones guerrarum ac periculose dissensiones et scandala multipliciter provenire, ac volentes tot et tantis periculis, malis et scandalis paterne sollicitudinis studio congruis remediis obviare, tibi tenore presentium intimamus, quod ipsi regi super donatione, concessione seu translatione huiusmodi de regnis predictis vel eorum altero per eundem regem in alium seu alios quam in Romanam vel aliam ecclesiam, ut premittitur, faciendas non intendimus nostrum impertiri assensum.

Dat. Avinion., Kal. Maii, pontificatus nostri anno sexto.

In verso: Clementis secreta. Bleibulle hängt.